DE ACCUSATIONE MAGISTRATUUM ROMANORUM, COMMENTATIO HISTORICO AD...

Karl Menn

CAROLI MENN

DE

ACCUSATIONE MAGISTRATUUM ROMANORUM

COMMENTATIO HISTORICA

AD

ACADEMIAM REGIAM INSCRIPTIONUM

AC LITERARUM HUMANIORUM PARISIENSEM.

MDCCCXLV.

Prostat Bonnae apud *Ed. Weber*.

ILLUSTRIBUS ACADEMICIS S.

Inter quaestiones, quibus Vos, viri inclytissimi, promulgandis et cupitis et plerumque efficitis, ut nobilissimae quaeque studiorum humanitatis partes promoveantur atque locupletentur, compluribus ante annis fuit illa ex iure atque historia veterum Romanorum sumta, qua, ut exploraretur, praecepistis, qualia a Gracchorum inde temporibus usque ad Adrianum Imperatorem iudicia fuissent, quibus legibus constituta, quemadmodum et a quibus administrata, quibus populus romanus et deinde Principes iussissent crimina ac delicta magistratuum ceterorumque omnis generis officialium vindicari atque coerceri. Quam quidem quaestionem ubi primum promulgatam legi, cepit me illa et commovit vehementissime, argumenti non minus ratione ac gravitate, quam quod res, quam miratus saepenumero equidem fueram a nemine adhuc separatim esse tractatam, adeo Vobis, illustrissimo doctorum hominum collegio, digna esset visa, ad quam illustrandam studiosissimos quosque laudis literariae excitaretis. Quantumvis vero infixum id argumentum animo meo haereret, variae tamen causae me prohibebant in arenam Vestram ad hoc certamen descendere. Nunc imposita mihi ea, quam in epilogo indicavi, scribendi necessitate, et, quae scripsissem, edendi parata facultate, tentandum mihi visum est, quam aptae meae vires forent rei tantae gravitatis atque amplitudinis. Vestrae igitur hanc tractando materiem obtemperavi auctoritati. Quod etsi sero factum

est, nec in paucis iis, quae nunc edidi, fieri posse mihi videbatur ut praeceptionis Vestrae consilium ac rationem plane servarem, eximia tamen humanitas Vestra, quam ego quoque semel iam simili in re expertus sum, efficit ut sperem, haud iniquo Vos laturos esse animo, quod, Vobis hoc inscripto libello, apud paucos eos, quorum haecce in manus ventura sint, luminis mihi aliquid assumere tentarim ex Vestri nominis splendore per orbem literarium summo meritissimoque.

D. Marcoduro in antiquo Ducatu Juliacensi a. D. III. Cal. Sept. MDCCCXLV.

DE
IURE ROMANO MAGISTRATUUM ACCUSANDORUM.

'Ο μὲν τὸν νοῦν κελεύων ἄρχειν, δοκεῖ κελεύειν ἄρχειν τὸν θεὸν καὶ τοὺς νόμους, ὁ δ' ἄνθρωπον κελεύων, προστίθησι καὶ θηρίον· ἥ τε γὰρ ἐπιθυμία τοιοῦτον, καὶ ὁ θυμὸς ἄρχοντας διαστρέφει καὶ τοὺς ἀρίστους ἄνδρας.

Arist. de civit. 3, 16.

Pauci admodum populi reperientur, qui quidem iura sibi condere didicerint, apud quos praeter communem legem pœnalem, quae in omnes cives noxios et eandem agendi formam et propter eadem delicta easdem pœnas præscribit, non propriis quibusdam legibus haec pœnalis iuris pars, qua magistratuum coercitio continetur, sit descripta ac munita, non durioribus modo pœnis propositis, sed etiam propriis constitutis iudiciis propriisque definitis formis, quibus, quaecunque in re publica gerenda delicta fuerint, coerceantur. Cuius quidem generis apud Graeciae civitates legimus peculiares fuisse magistratus variis nominibus, Athenis *εὐθύνους* sive *λογιστάς*, collegium decem virorum a senatu sorte creatum, quibus item sorte bini singulis assessores attribuebantur, apud quos lex iubebat omnes, qui publicis functi essent muneribus, edere et exponere, quid in magistratu gessissent; quos, cognitis diiudicatisque rationibus, euthyni aut liberos legibusque solutos dimittebant, aut, si qui pœnis afficiendi viderentur, integras eorum causas ad iudicia referebant popularia, quae sorte quotannis, sicut reliqua iudicia, e civium multitudine eligebantur et, quia harum iis causarum cognitiones speciatim erant attributae, *εὐθυντικὰ* dicebantur. [1])

1) Aristot. de civit. 4, 16; 6, 8. De atticis euthynis v. imprimis Boeckh „Staatshaush. der Athener" T. I. pag. 213 seqq.; Heffter „Athenæische Gerichtsverf." passim; Meier u. Schoemann „Der Attische Prozess" p. 99—103, 214—224. Crimina, quorum in iudiciis Atheniensium euthyntisis magistratus accusari potuisse hinc compertum habemus, fuere *προδοσία*, proditio; *κλοπὴ δημοσίων*, pecunia publica aversa; *δῶρα*, pecunia a privatis accepta; *ἀλόγιον*, non reddita ratio gesti muneris; *παραπρεσβεία*, male gesta legatio; et hic similia quaedam alia.

Apud Romanos neque actores huiusmodi publici ac necessarii, quales Athenis fuere euthyni, fuisse unquam perhibentur, nec iudicia hoc consilio atque hunc unum in finem constituta, ut de noxiis magistratibus sententiam ferrent, nec peculiaris quidem agendi ratio ac forma, qua accusatores vel alii litigantes in universos uterentur magistratus. Sed Romae omnes cives, magistratus perinde ac privatos, iisdem invenimus subiectos fuisse iudiciis, ex iisdem omnes legibus et iisdem formulis in ius et ad iudicia vocari oportuisse, generali quidem nullo unquam, in magistratu quis an privatus deliquisse argueretur, legibus sancito discrimine. Qua ex re facile apparebit, unde factum sit, ut neque inter veteres scriptores, neque inter recentiores iuris romani interpretes, ullus, quod equidem sciam, reperiatur, qui separatim, quemadmodum nos instituimus, de delictis et accusationibus magistratuum romanorum scribendum sibi proposuerit. Neque aliter enim hanc rem separatim complecti poterimus, quam si una universum ius pœnale Romanorum perlustremus. [2]) Ex singulis autem huius iuris partibus eæ omnes leges ac formæ iudiciorum eligendae ac diligentius pertractandae erunt, quae ad iudicanda ac punienda diversa delicta magistratuum comparatae atque accommodatae fuisse videantur. Has deinde ad leges ac iudicia erunt omnia, quaecunque in universa rerum romanorum memoria extant alicubi, delicta magistratuum revocanda. Opus et multae materiae, nec parvi laboris: cuius, sive ipse ego illud aliquando, meliore utens tempore, perficere potuero, sive quis alius animum huc appulerit, principia et quasi fundamenta quaedam haberi licebit ea, quae nunc generatim exponere aggressus sum, si quidem et res et tractandi ratio mea probata fuerit viris doctis.

Ac primo quidem generalis nostra disputatio aliquanto longius versetur in eadem illa re, quae maxime idoneum mihi visum est principium, ex quo omnis haec commentatio deberet proficisci. Etenim quum summa ista iuris aequitas ac iudiciorum inter magistratus et privatos communio facile summa iniquitas videri possit, apud Romanos praesertim, propterea quod Romae semper, qui imperando ac rem publicam gerendo ceteris præerant civibus, iidem iurisdictionem iudiciorumque administrationem habebant: operae pretium facturus mihi videor, si aliquantum in hac re immorando plenius eam illustrem, eo simul consilio, ut doceam quibus aliis institutis cavendum tamen Romanis quoque visum sit, ne propter iuris hanc aequitatem damna incommodave in rem publicam redundarent ex iniuriis

---

2) Quam vero universum ius pœnale veterum Romanorum parum adhuc sit compertum, abstineo equidem hic conqueri post alios, et qui primi de parte eius potissima, qua publicae criminum actiones continentur, plane atque omnibus antiquitatis temporibus comprehensis egerunt, G. Geib (prof. iuris in univers. Turicensi) „Geschichte des römischen Criminalprocesses bis zum Tode Justinians" (Leipzig 1842) et W. Rein (prof. liter. hum. in gymnasio Eisenacensi) „Das Criminalrecht der Römer von Romulus bis auf Justinianus" (Leipzig 1844). Quorum librorum utrumque hunc mihi libellum apparanti permagno fuisse usui libens et gratissimo animo profiteor.

magistratuum. Discernendum autem hac tota in quaestione esse inter magistratus, qui præerant iudiciis, et iudices, qui sententiam de reis vel inter litigantes ferebant, vix est quod moneam. Notissimum est enim, hanc perpetuo apud Romanos fuisse munerum iudiciariorum divisionem, ut magistratuum esset iurisdictio ac iudiciorum administratio, cognitio vero de facto et sententiae latio aliorum iudicum, in causis privatis, privatorum, qui inter litigantes convenissent; in causis publicis, primis temporibus, universi populi, qui suffragiis suis reos aut damnabat aut absolvebat, postea iudicum iuratorum, qui ex legibus iudiciorum publicorum per praetorem urbanum quotannis electi, per praesides iudiciorum deinde in singulas quaestiones essent sorte ducti; postremo consilii sive consistorii, id est, civium iuris peritorum, qui secundum leges ac constitutiones principum a praefectis ac praesidibus in causarum cognitionem adhibendi erant et quos ipsi consulere principes solebant sive de appellationibus sive de criminibus iudicaturi. Suo vero iure pœnas irrogandi et decernendi, non consulto consilio, omnibus quidem magistratibus erat potestas; sed uti ea per leges illis in iis tantum causis licebat, quae ad publicam pertinerent disciplinam vel ad leges, quarum cuique eorum ex peculiari muneris sui formula custodia esset mandata, veluti aedilibus custodia edicti aedilicii, frumenti et aquarum curatoribus cura legum frumentariarum earumque quae de aquis publicis latae erant. Iam vero iudicialium istam munerum divisionem sponte apparebit in causa fuisse, quamobrem iuris administratio apud Romanos coniuncta semper sine magna fraude manere posset cum aliis administrantium functionibus; ut, quod prima quidem specie maxime iniquum illa in re, de qua iam accuratius dispiciemus, fuisse videatur, non moretur nos amplius.

Itaque, ut prius de iudiciorum moderatoribus videamus, accusatores, quos requirimus, magistratuum omnium publicos ac necessarios, aperte ac diserte apud Romanos negat fuisse civitatis romanae perspicacissimus idemque in rebus civilibus administrandis non minus quam in iudiciis exercendis versatissimus auctor, M. Tullius Cicero. [3]) Quod quoniam ad id usque temporis a moribus populi romani alienum omnino fuerit munus publicum, non novum quidem, qui eo fungatur, magistratum institui ille vult, sed curam hanc, eandem fere, quam Athenis euthynos habuisse videmus, rationes omnium, qui magistratu abierint, recipiendi de causisque eorum praeiudicandi, dandam arbitratur censoribus, censoresque propter novam hanc curam in re publica semper esse oportere. Erant quidem cum ante Ciceronem, libera prorsus Romanorum civitate, tum, principibus rem publicam obtinentibus, magistratus complures, qui quodammodo partito inter se accusandi illo atque coercendi ceteros magistratus iure, praeter diversissimas curas alias lege cuique

3) Cic. de legibus 3, 20: „Extremae leges sunt nobis non usitatae, reipublicae necessariae“ et q. seq. usque ad verba „sed satis iam disputatum est de magistratibus.“ Leges, quas h. l. significat, sunt illae, quas c. 4 extremas scripserat: „Censores fide legem custodiunto. Privati ad eos acta referunto; nec eo magis lege liberi sunto.“

datas, paene idem in civitate romana praestitisse videantur, quod Athenis unius fuerat euthynorum collegii proprium munus. Sic ex antiquioribus imprimis tribunos plebis atque ipsos adeo censores invenimus operam haud parvam dedisse vindicandis cum omnium civium, tam maxime magistratuum criminibus, illis publica propterea data accusatione, his animadversione sive notatione censoria; quo quidem iure tribunicio effici poterat, ut noxii capite et fortunis, censoria animadversione, ut dignitatis publicae atque auctoritatis iactura multarentur. Cui simile erat, quod consules, et qui per diversas imperii partes summam habebant potestatem, pro modo sui quisque imperii universos in cives noxios nec obedientes, ac pariter etiam in magistratus omnes inferiores apparitoresque, pœnali quoque uti iudicio poterant. Nec vero his magistratibus propria unquam cura fuit in ceterorum maleficia magistratuum inquirendi; neque delicta magistratuum, vel publica, quae publicis pœnis vindicanda essent, vel privata, in legem civilem commissa, quominus ad communia earum rerum iudicia ab iis, qui iniuriam passi essent, aut ab aliis accusatoribus deferrentur, prohibere ulli eorum fas potestasve fuit. Quare, tametsi concedendum omnino erit, iudiciarias illas eorum, quos nominavimus, et aliorum fortasse magistratuum curas multum valuisse ad prohibenda et a singulis et a re publica damna atque incommoda, quae, si eiusmodi non inventa fuissent remedia, exoriri facile propter summam legum ac iudiciorum aequitatem poterant ex maleficiis magistratuum; tamen propterea non cogemur dissentire a Cicerone negante munus istud publici ac necessarii magistratuum accusatoris usitatum in patria sua fuisse. Post Ciceronem sane novis, quos Octavianus Augustus instituit, magistratibus, præfecto urbi et præfecto prætorio, et rectoribus deinceps omnibus provinciarum, cura attribuebatur iudicaria novis conditionibus, propter quas multo isti quidem propius ad publicorum istorum actorum similitudinem accessisse videntur, praesertim quod cum de aliis criminibus, tum de pecuniis repetundis, et de peculatu, et de concussionibus, quae potissima erant publicorum administratorum crimina, extra ordinem cognoscere iubebantur. [4]) At ne sic quidem plane id, quod requirimus, effectum esse, accuratior iudiciorum romanorum consideratio docebit.

Ad iudicia autem et pœnarum modum et ad universam forensis magistratuum persecutionis rationem ac formam quod attinet, constat id quidem apud Romanos constantis fuisse moris nec controversi unquam iuris, ut quidquid ab iis, qui potestatem a populo acceptam gererent, peccaretur, id in publicorum adeoque capitalium seu imminutae maiestatis habendum esset criminum numero; quae, dummodo accusator extitisset causamque probasset iudicibus, pœna capitali, morte vel exilio, aut gravi admodum multa, per suprema in civitate iudicia, antiquitus quidem solius populi, puniri solebant. Nec raro

---

4) Dig. 48, 11, 7 §. 3; 48, 13, 4 §. 2; 47, 13. Quibus de locis accuratius agemus infra.

factum legimus, ut non publica modo damna, sed etiam in privatos legum violationes, vel cum levi magistratuum culpa admissae, extremo noxiorum supplicio per populum vindicarentur. [5]) Perduellionis hoc vel imminutae populi maiestatis dicebatur iudicium. Quo quidem nomine quum omnes possent arcessi, quicunque publica aliqua potestate gerenda in leges quippiam sive negligentia sive dolo commisissent, non paucas tamen certas invenimus maleficiorum huius generis species, quas antiquissimae leges sacratae nominatim iubebant capite puniri. Quo in numero fuerunt, si quis, non solum magistratus, sed etiam iudex arbiterve iure datus, ob rem dicendam pecuniam accepisset (A. Gell. 20, 1, 7); et qui magistratus necasset verberassetve civem romanum indemnatum, vel etiam iure damnatum, provocantem tamen ad populum (Liv. 10, 9); et qui adversus iura aliorum magistratuum contra leges aliquid faceret (Dionys. 6, 89; Liv. 3, 55); et qui hostem concitasset, quive civem hosti tradidisset (Marcian. in Dig. 48, 4, 3); et qui in leges aut plebiscita non iuraret (Dionys. Halic. 11, 45); et qui magistratum sine provocatione crearet (Liv. 3, 55; Cic. de republ. 2, 31); et qui, a populo non accepta potestate, magistratum gereret (Plut. Poplic. 11; Dionys. Hal. 7, 19). Quorum criminum omnium, perinde atque ceterorum cunctorum, quae perduellionis ac maiestatis nomine comprehendebantur, iudicatio capitalisque animadversio, certe ex lege XII tabularum, erat populi. Quod quidem summum in noxios magistratus animadvertendi ius a principio solum penes populum non ideo tantum fuisse videtur, quod omnis omnino publicae vindictae auctoritas, qua quis civium romanorum, vita, existimatione, fortunis multaretur, sicut honorum conferendorum et legum sanciendarum potestas, inter populi fuit iura [6]); verum etiam hac peculiari de causa constitutum ita fuisse cogitari poterit, quod magistratus, quos populus crearat, quasi ministri ac vicarii populi re publica gerenda habebantur. In ministros autem aequum atque consentaneum est eum, cuius illi negotia curant, habere animadversionem. At populi iudicium non proprium solumve erat iudicium, in quo causas, quae cum rei publicae administratione coniunctae viderentur, agi oporteret, ne antiquitus quidem, quum nulla dum alia esset de civium romanorum criminibus iudicatio publica. Nam populus romanus non solum de magistratuum noxis iudicabat, sed etiam reliqui cives rerum capitalium et quae summa

5) Sic Valer. Max. 8, 1, damn. 5 refert triumviros nocturnos a populo damnatos, quod ad incendium in sacra via ortum extinguendum tardius venerant; item alium, quia vigilias negligentius circumierat. Et quae primae ex lege XII tab. actae ad populum sunt causae capitales decemvirum App. Claudii et Sp. Oppii, in iis Claudio id unum, ut narrat Livius 3, 56 — 58, crimini datum, quod in causa iuris privati aliter, ac lex iuberet, decrevisset; Oppio, quod tum, quum ea causa ageretur, in urbe fuisset, nec prohibuisset iniuriam collegae, cui unus ex testibus etiam factam iniuriam adiecit, virgis se caesum ab illo, quamvis innoxium, clamitans.

6) Polyb. 6, 14: τιμῆς γάρ ἐστι καὶ τιμωρίας ἐν τῇ πολιτείᾳ μόνος ὁ δῆμος κύριος. — — κρίνει μὲν οὖν ὁ δῆμος καὶ διαφόρου πολλάκις, ὅταν ἀξιόχρεων ᾖ τὸ τίμημα τῆς ἀδικίας, καὶ μάλιστα τοὺς τὰς ἐπιφανεῖς ἐσχηκότας ἀρχάς· θανάτου δὲ κρίνει μόνος.

hac publica animadversione coercendae viderentur, non aliter atque ii, qui quid in magistratu peccavissent, rei ad eadem populi iudicia agebantur. Nec vero antiquissima memoria, et multo minus posteriore tempore, posteaquam alia inventa fuere iudicia publica, populus sibi soli vindicabat iudicationem omnium delictorum magistratuum suorum; sed longe plurimam harum quoque causarum partem aliis iudicari iudiciis populus sinebat, forma prorsus eadem, qua de aliorum civium noxis ac maleficiis sententia ferri soleret; idque tum privatis iudiciis, tum per ipsos magistratus eo, quo supra iam significatum nobis est maiores omnes in minores uti iussos esse, iure coercendi. 7) Quae quidem magistratibus data potestas subditos omnes, minores magistratus perinde atque apparitores, coercendi constabat multis, vinculis, a re publica remotione, pertinebat autem modo ad delicta, ut breviter dicam, disciplinaria. Privatis vero iudiciis quilibet iniuria affectus civis romanus persequi poterat non modo causas pecuniarias ex obligationibus venientes, sed etiam delicta, magistratuum non minus quam privatorum, quae privata nuncupabantur, quorumque vindicandorum causa in omnes cives praetor ius repetentibus easdem dabat actiones civiles iuris privati, veluti furti, damni iniuria dati, vi raptorum bonorum; quae quidem et brevior et tutior erat via ad rem suam recuperandam, eoque praeferri fere solebat criminali actioni, 8) praesertim quum civiliter agentibus, si causa caderent, non tot ac tantae imminerent aerumnae pœnaeve, quantae legibus constitutae erant in calumniantes, aut praevaricantes, aut tergiversantes in iudiciis publicis. Atque aliae praeterea conditiones, quas propter iam antiquissimo tempore in usum venerat, ut cives privati magistratus quoque in ius potius ad praetorem vocare, quam iudicio publico reos agere mallent, erant, quod populus fere de publica pœna, non de damnis privatorum resarciendis, suffragia ferebat;

---

7) Coercendi haec potestas magistratibus omnibus data apud Romanos unum erat ex tribus generibus iudiciorum pœnalium; quorum alterum erat actio civilis propter delicta privata; tertium publica accusatio criminum. Magistratuum hoc pœnale iudicium, omnesque eius varietates et conditiones diversissimae referri cunctae poterunt ad legem, quam Cic. de legib. 3, 3 his verbis breviter scribit: „Magistratus nec obedientem et noxium civem multa, vinculis verberibusve coerceto, ni par maiorve popestas populusve prohibessit, ad quos provocatio esto. Cum magistratus iudicassit irrogassitve, per populum multae, pœnae certatio esto. Militiae ab eo, qui imperabit, provocatio ne esto; quodque is, qui bellum gerat, imperassit, ius ratumque esto.“ — Ceterum si quis, potestate sua perperam usus, multandus hac lege praeposito videretur, poterat idem eandem ob culpam vel civiliter vel criminaliter reus agi, prout culpa vel cum damno privato vel cum publicae legis laesione coniuncta esse argueretur. Quod propter adulterata pondera peculiariter cautum legimus antiquo plebiscito Silaniano, ap. Fest. v. publica pondera, p. 246 ed. Müller.

8) Cic. in Caecil. div. 5: „Civibus cum sunt ereptae pecuniae, civili fere actione et privato iure repetuntur.“ — Idem mansisse ius per totum imperium, declarant Digesta multis locis et rescripta constitutionesque Imperatorum, in quibus saepe numero et ad taedium usque, nobis quidem, qui de fide et continentia magistratuum melius sentire solemus, mentio fit actionum civilium, praesertim de furtis, adversus magistratus commotarum vel commovendarum. — Id autem iuris civilis iudicium pœnale

neque ad populum quilibet civium poterat causam deferre atque agere, sed ii tantum magistratuum, quibus agendi cum populo potestas erat, comitiis centuriatis consules et praetores, tributis tribuni plebis et ædiles; idque eo ex lege XII tabularum discrimine, ut, quoties capitis anquireretur, causa agenda esset maximo centuriarum comitiatu, per tribus modo multae irrogarentur, aut, si quis reus exulatum isset, ei iustum hoc esse exilium, plebes sciseeret. [9]) Quod quum privatorum in causis ex arbitrio fere penderet magistratuum, vellentne appellati rem ad populum ferri, manifestum est, ut difficillimum ac molestissimum fuerit privatis quidem, sive quis iniuriam passus esset ab aliquo magistratuum, sive a privato capitali noxa affectus, ita ius suum ac noxiorum punitionem apud populum persequi. Quamvis igitur, quae apud populum actae civium romanorum causae memorantur, plurimae coniunctae fuisse cum administratione rei publicae videantur, et quamvis de summorum magistratuum delictis, in quos aliquanto gravius animadvertendum

---

revocari poterit ad legem, quam Cic. de legib. 3, 3, 8 scripsit, hancce: „Iuris disceptator, qui privata iudicet, iudicarive iubeat, praetor esto. Is iuris civilis custos esto.“ — Ceterum si quod privatum delictum ita erat comparatum, ut idem publicae alicuius legis contineret violationem, simul civiliter ac criminaliter eadem causa agi poterat. Ulpian. lib. 57 ad Edictum, Dig. 47, 10, 7 §. 1: „— solemus dicere, ex quibus causis publica sunt iudicia, ex his causis non esse nos prohibendos, quominus et privato agamus.“ Cf. Cod. Theod. tit. victum civiliter agere et pœnaliter posse (9, 20), et C. Iust. tit. quando civilis actio criminali præiudicet, et an utraque ab eodem exerceri possit (9, 31). — Exempla huius actionum concursus suppeditat Paullus Dig. 48, 1, 4: „Interdum evenit, ut praeiudicium publico iudicio fiat, sicut in actione legis Aquilliae, et furti, et vi bonorum raptorum, et interdicto unde vi, et de tabulis testamenti exhibendis: nam in his de re familiari agitur.“ Quae omnia criminaliter agi poterant, alia ex legibus de sicariis aut maiestatis, alia de repetundis aut de vi, alia de falsis. — Praeterea ex iure imperatorio propter maleficia, in quae actio civilis dabatur, iniuriam passus poterat etiam punitionem persequi extraordinariam; at tum non utramque simul poterat actionem instituere, sed eligendum erat, utrum ordinario iure, an extraordinario experiri mallet. Ulpian. Dig. 47, 1, 3. — Breviter omne hoc ius comprehendit Iustin. Institut. 4, 4, 10: „In summa sciendum est, de omni iniuria eum, qui passus est, posse vel criminaliter agere, vel civiliter. Et siquidem civiliter agitur, aestimatione facta, — pœna reo imponitur. Si autem criminaliter, officio iudicis extraordinaria pœna reo irrogatur.“

9) Alios novi aliis opinari conditionibus diversa fuisse iudicia tribuum et centuriarum. Certum aliquod, et, si non lege, more tamen perquam fixum fuisse utrorumque discrimen, idque simplex et omnibus notissimum, vel ex eo apparet, quod, postquam iura ordinum XII tabulis exaequata fuerant, vix ullum usquam extat vestigium certaminum de competentia utrorumque comitiorum, quae alioquin necesse erat exoriri inter magistratus aut inter plebem ac patricios. Cui addam quod Polybius, quem nemo existimabit ignorasse duplex illud apud Romanos fuisse iudicium populi, ita de universis populi cognitionibus refert (6, 14, 6) ut ne indicare quidem, quid discriminis esset, opus duxerit. Simpliciorem vero, quam quae supra a me proposita est, discriminis legem, et ad quam omnes, quae uspiam memorantur, varietates ac discordiae utriusque iudiciorum generis melius possint referri, nullam equidem opinor cogitari posse.

esset, populus fere solus cognovisse antiquitus perhibeatur, non ita tamen earum rerum cognitio propria ac necessaria unquam fuit populi, ut populi iudicium existimari debeat hunc proprium in finem aut principio fuisse constitutum, aut deinde eam sibi vindicasse auctoritatem, ut, quaecunque in magistratibus peccarentur, ea pro rostris omnia agenda essent.

Neque aliud huius generis peculiare iudicium a populo romano constitutum est, aut postea extitit unquam. Etenim, ut strictim hic omnes attingam veterum iudiciorum publicorum species, nemo, opinor, huius generis esse arbitretur cognitiones antiquorum quaesitorum parricidii, aut duumvirum perduellionis, aut aliorum quaesitorum, quos populus, si res ita posceret, magistratuum rogatu, de singulis rebus capitalibus singulos vel plures partim ipse creabat, partim, ut dicerent eos, consulibus vel senatui permittebat, ea tamen semper lege, ut de pœna, quam hi pronunciassent iudices, certare ad populum damnatis liceret. Quæstionum perpetuarum vero, ad quas postremo libertatis saeculo paene omnium constat a populo translatam fuisse criminum iudicationem, erant quidem duae vel tres, quibus nihil fere iudicabatur nisi quae in officiis et administrationibus vel honorum impetrandorum causa contra leges facta essent; repetundarum dico, et peculatus, et ambitus iudicia. At haec iudicia a ceteris quaestionibus perpetuis nec genere, nec universa agendi forma, nec praesidum potestate, nec iudicantium conditione, nec ulla ratione generali diversa erant; sed specie tantum criminum, quorum quaestio ac iudicatio ad unumquodque lege delata erat, omnia haec publica iudicia pariter inter se distabant. Nec vero sola ista de repetundis et de peculatu publica erant iudicia, quibus, qui quid in magistratu deliquissent, rei agi possent; sed omnia ad iudicia novae huius formae cives omnes, magistratus pariter ac privati, eorum criminum, quae cuiusque iudicii lege comprehensa erant, accusari poterant. Sic lege maiestatis definitum erat, ut in eo, quod hac ex lege fieret, iudicio magistratus quoque accusarentur, qui potestatem suam in administrando non defendissent (Ps. Ascon. ad Cic. Verr. 1, 33 p. 182 Orell.); quive de provincia, cum ei successum esset, non discessisset (Ulp. l. 2. D. 48, 4), vel exercitum successori non tradidisset (Marc. l. 3 D. eod.); quive iniussu imperatoris bellum gessisset, delectumve habuisset, exercitum comparasset, sollicitasset, deseruisset imperatorem (Paul Sentent. 5, 29); quive sciens falsum conscripsisset vel recitasset in tabulis publicis (Ulp. l. 2 D. eod.); item qui confessum in iudicio reum, et propter hoc in vincula coniectum emisisset (Scaevola l. 4 D. eod.); quive quid eorum, quae supra scripta sunt, facere curasset (Marcian. l. 3 D. h. t.). Pariter lege de sicariis tenebatur, qui iudex in caput fortunasque hominis pecuniam accepisset (Paul. Sent. 5, 23, 10; Marcian l. 1 §. 1 D. 48, 8); quive cum in magistratu esset, quid fecisset contra hominis necem, quod legibus permissum non esset (Ulpian. l. 4 D. h. t.); quive, cum magistratus esset, publicove iudicio præesset, operam dedisset, quo quis falsum iudicium profiteretur, ut quis

innocens conveniretur, condemnaretur (Marcian. l. 1 D. h. t. Cic. pro Cluent. 54). Et lege de vi publica, sicut atrocioris violentiae facinora privatorum, ita magistratuum quoque omnes iniuriae sponte doloque factae vindicari poterant. Tenebatur enim ea lege, qui, potestatem imperiumve habens, contra quam ei ius esset, decerneret, imperaret, faceret (Ulp. l. 10 D. 48, 6), nominatim, qui, aliqua potestate praeditus, civem romanum, prius ad populum, postea ad imperatorem, appellantem necasset, necarive iussisset, torsisset, verberasset, condemnavisset, inve publica vincula duci iussisset (Paul. Sent. 5, 26, 1; Ulp. l. 7 D. h. t.); et qui dolo malo fecisset, quominus iudicia tuto exercerentur, aut iudices, ut oporteret, iudicarent (Ulp. l. 10 D. h. t.). Denique etiam lege de falsis complura magistratuum ac iudicum delicta comprehensa erant; veluti si quis rationes, acta, libellos, album propositum, vel edictum, dolo malo in fraudem alicuius delevisset, mutavisset, subiecisset, subscripsisset (Paul. Sent. 5, 25, 5), et qui iudex falsis constitutionibus, nullo auctore habito, usus esset (Modestin. l. 33 D. 48, 10), quive constitutiones principum neglexisset (Marcian. l. 1 §. 3 D. h. t.), vel contra ius publicum, quod apud eum recitatum erat, pronunciasset (Paul. Sent. 5, 25, 4); et alia huius modi. — Neque his omnibus in legibus, quod quidem ad criminum naturam atque universam agendi rationem attinet, ullam invenimus mentionem factam discriminis, quod inter magistratus et reliquos cives noxios esse deberet. Cui postremo accedit, quo sententiam meam tuear, quod ne pœnarum quidem ulla erat differentia inter magistratus et privatos ex eadem lege damnatos. Ex plerisque enim legibus prius solebat universis aqua et igni interdici; sub Imperatoribus demum haec in usum venit pœnarum diversitas, ut humiliores atrocius punirentur, honestiores plerumque relegarentur aut in insulam deportarentur; nullo tamen facto discrimine, in magistratu quis an privatus deliquisset.

Nunc ad ea nos convertamus iudicia, quae per Principes in locum populi et quaestionum perpetuarum constituta sunt, ut de civium romanorum criminibus sententiam ferrent. Nam praeter illa, de quibus hactenus disputavimus, quaestionum publicarum et ipsius populi iudicia, nullum in libera Romanorum civitate publicum fuit iudicium, ad quod cives romani rei agi ac damnari criminum publicorum possent. Senatui enim nulla unquam ante Octavianum Augustum eiusmodi fuit potestas; militare vero iudicium, quo militiae is, qui imperabat, damnare civem adeo capitis poterat, omni interclusa damnato provocatione, genere neutiquam diversum erat ab iurisdictione, quam custodiendae publicae disciplinae causa universi magistratus in subditos habebant. [10]) Populi autem iudicia constat iam ab Octaviano Augusto penitus esse sublata, tam ea, quae de civium criminibus, quoticscunque

10) Cicero quoque (de legibus 3, 3, 6, quem locum supra n. 7 iam adscripsi) de militari coercitione ac iudicio ita scribit, ut non genere, sed specie tantum diversam hanc ab aliorum magistratuum iurisdictione statuisse videatur. Quare hoc generali iudiciorum in conspectu iure abstinebimus plura hac de re referre. Qui, quantum nunc nostra referi, diligentius rem cognoscere velit, consulat Gotho-

ad accusandum aliquis magistratuum existeret, eo usque ad rostra exerceri moris fuerat, quam quibus de pœnis, quas magistratus suo iure irrogassent, certari ad populum solebat; quamquam ipsa comitia populi, renunciandis etiam tum magistratibus haberi solita, postea demum in desuetudinem venerunt. Et quaestiones perpetuas quoque, quum per eundem et ipsae primi Augusti principatum multo esse infrequentiores cœpissent, centum fere post annis omnino dissolutas fuisse novimus. Quae autem adhuc ad ista iudicia pertinuerant causarum capitalium cognitiones, in iis postea partim Principes ipsos cum consistorio suo, partim senatum, plurimam vero partem novos, qui ab Augusto instituti erant, præfectos et præsides provinciarum versantes videmus. Ac senatui quidem iam Augustus eam fecerat potestatem, quae a Constantino tandem omnis ordini illi adempta esse videtur; ad praefectos vero et rectores provinciarum plurima criminalis illius iuris, quod prius in urbe tantum magistratus populi exercuerant, plene transtulisse Claudius Caesar memoratur (Tacit. Annal. 12, 60). Quae quidem iudiciorum permutatio quatenus ad magistratuum pertinuisse crimina videatur, iam accuratius dispiciamus.

Senatus, postquam ei per Octavianum Augustum certa quaedam criminum iudicandorum facta et potestas, et ipse quidem omne eo tempore, quo hac utebatur potestate, de permultis, quae potestate gerenda a civibus admissa essent, cognoscebat; at non ideo, quod ea essent magistratuum crimina, sed nullam aliam ob causam, quam quod peccata ea erant a senatoribus. Id enim unum de criminali iurisdictione, quae ad id usque temporis magistratuum populi et iudicum electorum fuerat, Augustus concesserat senatui, ut de universis hominum ex ordine senatorio criminibus soli senatores, non aliorum ordinum iudices, neque ipsi Principes, nisi senatoribus in consilium adhibitis, quaererent statuerentque.[11]) Quae quidem fori praescriptio senatoribus romanis concessa arctissime iuncta erat aliis iuris publici conversionibus, quarum idem Augustus fuit auctor. Sublatis enim iudiciis populi, summam hanc, quae solius antea populi fuerat, iudicandi de civium romanorum criminibus potestatem, translatam eam quidem per populum senatumque in unum civitatis principem simul cum aliis in cives universos potestatibus, imperio militari, et

---

fredum, qui in paratitlis et commentariis legum complurium Codicis Theodosiani hanc quoque materiem optime disposuit.

11) Dio Cass. 52, 31. Neque id prorsus novum in re publica romana fuit; si quidem antiquissima memoria de causis patriciorum propria concilio curiarum fuerat cognitio. Quam quum tollere Servius Tullius rex, irrito conatu, tentasset, dissolvisse omnino tandem lex XII tabularum videtur, hac quoque in parte iure plebeiorum cum patriciis aequato. — Hadrianus Imp. senatoribus id ius reliquit, teste Spartiano in Hadr. 7 et 8; postea et Alexander Severus (Lamprid. in Al. Sev. s. fin.) et Probus Imp. (Vopisc. in Prob. 13) cum aliis iuribus hanc quoque iudicialem potestatem senatui restituisse memorantur. Fori praescriptione in causis criminalibus senatores uti non amplius debere, decrevit Constantinus M. const. a. 317 Cod. Th. 9, 1, 1; quae recepta etiam a Iustiniano est Cod. 3, 24 tit. ubi senatores vel clarissimi civiliter vel criminaliter conveniantur.

censura morum, et cum iure consulari, tribunicio, pontificio maximo, Augustus non sibi soli vindicavit, sed praeter eas illius partes, quas novis suis praefectis ac rerum suarum per provincias curatoribus mandabat, partem huius quoque iuris attribuit senatui, quemadmodum et alia iura, quae prius populi fuerant, veluti sanctionem legum et electionem magistratuum, cum senatu communicavit. Quaecunque igitur ab senatorii ordinis magistratibus (ii autem fere omnes adhuc erant magistratus populi romani, quorum eligendorum ius senatui etiam multo post Augustum tempore fuisse constat) peccata essent, quae criminaliter, non civili actione, coercenda viderentur, ea omnia exinde ad id usque temporis, quo iudicaria ista potestas rursus ademta est senatui, ad senatus pertinebant notionem. Atqui agendum quidem apud senatum quoque erat pœnaeque decernendae ex vetustis legibus, quibus adhuc in foro atque in aliis iudiciis publicis accusari soleret, facultate tamen data senatui et mitigandi leges et intendendi (Plin. Epist. 4, 9). Imprimis autem ac saepissime senatum cognovisse de repetundarum crimine, quo nomine semper longe plurimae species maleficiorum, quae gerendis muneribus admitterentur, comprehendebantur, exemplis docemur cognitionum, quae apud Tacitum et in epistolis Plinii permulta memorantur. Neque huius criminis ab Augusti iam temporibus ulla amplius quaestio perpetua sub praetore ex antiquo iudiciorum publicorum ordine fuisse videtur. De nemine sane, neque senatore, neque alio cive, tale ad iudicium reo facto repetundarum, Augusto principe, aut post Augustum, quicquam literis vel aliis rerum monumentis traditum est. Atque, ut repetundarum, ita etiam peculatus et aliorum, quae administrationi rei publicae quodammodo propria erant, criminum quaestiones publicas per Augusti iam tempora cessavisse, id ut existimem, facile adducor. [12])

Nec ea tamen magistratuum crimina, de quibus sic ab Augusto inde iudicia publica cognoscere desiisse videntur, ad senatus omnia cognitionem pertinebant; sed, ut dictum est, tantum ista ex iis, quae commissa essent a senatoribus. Reliqua vero, quae non a senatoribus, sed a Principum procuratoribus horumque officialibus peccarentur, quae quidem cum administratione coniuncta essent crimina, ea omnia statim a principio novi iuris publici partim videntur ipsi Principes iudicanda suscepisse, partim præfectis suis et rectoribus provinciarum mandasse vindicanda. Praefectorum deinde ac rectorum provinciarum ad iudicia postremo omnium causarum capitalium cognitiones redactae sunt; ita ut, quidquid in urbe admitteretur, ad praefectum urbi pertineret; [13]) quae in provinciis

12) Alia vero antiqui ordinis iudicia publica multo etiam postea, Traiano certe adhuc principe, fuisse ostendit mentio earum facta a Quintiliano Inst. orat. 3, 10, 1, qui ea exerceri etiam tum solita commemorat iuxta Principum et senatus cognitiones. At non ita longe post Traianum, nescio an ex novis Hadriani institutis, antiquus ille ordo exercendorum iudiciorum publicorum in usu esse desiit omnino; „durante tamen pœna legum, cum extra ordinem crimina probabantur.“ Paulus lib. sing. de iudic. publ., Dig. 48, 1, 8.

13) Ulpian. lib. sing. de officio praef. Ur., Dig. 1, 12, 1.

contra publicas leges fierent, ea iudicarentur a rectoribus provinciarum; rectoribus ipsis et postea etiam senatoribus et omnibus, qui illustri aliqua dignitate functi essent, immineret praefectus praetorio atque ipse Princeps. Qua quidem re iudiciorum publicorum plena fuit atque consummata conversio. Etenim non novis solum magistratibus novo hoc iure quaestio de criminibus civium permissa est, sed totus etiam ordo iudicum publicorum, quos vetustae leges in partibus populi locaverant, omnino esse desiit. Criminales enim perinde fere ac civiles causas totas dehinc, ab postulatione inde ac nominis delatione usque ad sententiae exsecutionem, caesariani illi praesides cum assessoribus suis exercebant. Nec tamen propter novam hanc iudicum rationem universa agendi forma, quam vetustas condiderat, vel ipsae vetustae criminum leges abrogatae sunt; quin omnes ad postremum usque iudices iubebantur de criminibus cognoscere ac damnatos punire ex iisdem illis legibus, quae antiquitus de singulis criminibus latae erant; quibus deinceps multae quidem, at pleraeque minoris momenti, novae conditiones accesserunt ex rescriptis ac mandatis Principum, et ex senatus consultis, et ex iuris consultorum interpretationibus. Generalem vero ac gravioris discriminis unam illam hac in re constitutam reperimus novam conditionem, ut, quae ad publicam disciplinam propius pertinere peccata viderentur, in ea deberent praefecti ac praesides provinciarum extra ordinem quaerere atque animadvertere. Quum enim ceteris in causis criminalibus, ut alias praeteream vetusti iuris solemnitates, more et antiquissimo et quem nulla unquam lex abrogavit, nulla posset quaestio fieri, nisi ubi accusator aliquis civis existeret causamque apud iudices perageret, [14]) has ob causas, de quibus extra ordinem cognosci Principes iubebant, quaestio poterat exerceri et animadverti in noxios, sive extiterat accusator, sive quolibet alio modo causa ad iudicis scientiam pervenerat. Quam quidem ob rem extraordinaria haec criminum vindicandorum forma similis ac paene par facta est illi iurisdictionis formae, quae ab antiquissima memoria magistratibus superioribus fuerat in universos cives noxios, ac maxime in eos, qui ipsis parere lege potestatis suae cogerentur. Quo enim potissimum haec nova iuris species ab illo vetusto iudicio administrativo distabat, hoc erat, quod his extra ordinem iudicantibus pœnas licebat graviores illas et capitales decernere, quas in publica crimina leges antiquae vel senatusconsulta atque Principum rescripta statuerant; quum usitato illo iudicio multae

14) Hoc iuris perpetuo mansisse et leges ostendunt, et exempla eius conditionis neglectae, ut apud Ammian. Marcell. 15, 1 et 9: „— cumque pertinacius, ut legum gnarus, accusatorem flagitaret atque solemnia, doctus id Caesar, libertatemque superbiam ratus, tanquam obtrectatorem audacem excarnificari praecepit." — Quam necessaria autem semper accusatio habita sit non solum ad legitimam damnationem, sed etiam ad actionem solemniter instituendam, apparet ex eo, quod ne honoribus capiendis quidem prohiberi debere reos, in quos nullus extitisset accusator, Alexander Severus Imp. rescripsit, teste Ulpiano lib. 4 de Off. Procons., Dig. 50, 4, 6 §. 2: „Si quis accusatorem non habeat, non debet honoribus prohiberi; quemadmodum non debet is, cuius accusator destiterit: ita enim Imperator noster cum D. patre suo rescripsit."

tantum atque aliae pœnae leviores decerni possent. Quod autem hac nova conditione ii tenebantur omnes, qui in re publica administranda concussiones commisissent, vel repetundarum peculatusve criminibus sese contaminavissent, — nam has ob causas praesides nominatim iubebantur quaestiones habere extra ordinem [15]) — ne id quidem nos de sententia nostra depellere poterit. Neque enim eos solos, qui munere gerendo istiusmodi perpetrarent facinora, nova hac forma iudices iubebantur ita persequi, sed alios omnes pacis ac publicae quietis turbatores, velut sacrilegos, latrones, plagiarios, fures nocturnos, latronum receptatores, effractores carcerum et ceteros his similes. [16]) Neque, quod quidem ad magistratuum illa delicta attinet, ulla alia huius in publicorum iudiciorum ordine immutationis videtur causa fuisse, quam haec, ut simul publica disciplina facilius posset acriusque conservari, simul ut singulis, qui a potentioribus ac publica praeditis potestate iniuria aliqua atrociore afficerentur, legitima fieret facultas punitionem sontium repetendi, omissis antiquarum legum ambagibus et stricti iuris solennitatibus conditionibusque admodum duris. Denique nec inique de magistratibus omnium ordinum ita cautum fuit; si quidem, nisi facta esset ea conditio, potentissimi quique et potestatis suae iure defensi, et quod, quamdiu cum imperio erant, ordinarii iuris formula non poterant accusari, impune potuissent usque ad finem honoris iniuriose agere. Neque prorsus novum id Principes constituisse aut contra morem de magistratuum maiestate quicquam detraxisse, vel sibi, quod iure non liceret, arrogasse existimandi sunt: quin imo cavendo ita de procuratoribus suis Principes paene eodem usos dixerim iure, quo antiquitus utebatur populus romanus, quum de magistratuum, quos ipse creasset, maleficiis quolibet tempore cognoscendi sibi ipsi potestatem

15) Macer lib. 1 publ. iudic., Dig. 48, 11, 7 §. 3: „Hodie ex lege repetundarum extra ordinem puniuntur, et plerumque vel exilio puniuntur, vel etiam durius, prout admiserint." De peculatu similia scribit Marcian. Dig. 48, 13, 4 §. 2; de concussione Macer Dig. 47, 13, 2. — De variis concussionum generibus per iudices statim, ubi res delata fuerit, vindicandis praecipit Paul. Sent. 5, 12, 6, et Constantinus M. Imp. l. 1 d. a. 315 Cod. Theod. de concussionibus advocatorum sive apparitorum (8, 10). Plenius id et uberius adversus omnes magistratus sanxit Constantinus M. edicto ad universos provinciales a. 325 C. Th. de accusationibus (9, 1) 4: „Si quis est cuiuscunque loci, ordinis, dignitatis, qui se in quemcunque iudicum — aliquid veraciter et manifeste probare posse confidit, quod non integre atque iuste gessisse videatur, intrepidus et securus accedat, interpellet me, ipse audiam omnia, ipse cognoscam." — Acrius idem inculcat Iustinianus Novell. 8, 9: „— etiam ipsos provinciales, si senserint administratorum furtum, licentiam habere, magis autem necessitatem, haec referre nobis: ut cognoscentes, quia omnino auro vendidit iustitiam, praedictis eum subiicimus pœnis. Super quod etiam cœlestibus suppliciis reus erit, transcendens iusiurandum, in quo acceperit administrationem."

16) Marcianus lib. 14 Institut., Dig. 48, 13, 4 §. 2: „Mandatis autem cavetur de sacrilegis, ut praesides sacrilegos, latrones, plagiarios conquirant, et ut quisque deliquerit, in eum animadvertant. Et sic constitutionibus cavetur, ut sacrilegi extra ordinem pœna digna puniantur." De diversis extraordinariis criminibus sunt Dig. 47, titt. 11 — 22.

servaret. Principes enim hac quoque ex parte in iura populi successisse videbantur. Magistratus autem postremo omnes, quibus iurisdictio vel aliqua rei publicae curatio mandabatur, ad ius legesque procuratorum principalium redacti erant. Quodsi cui haec minus probanda vel nondum satis firmata videbitur opinio, institutum illud poterit etiam ex potestate Principum tribunicia repeti. Ut enim antiqui tribuni plebis potestatem habebant cives quolibet tempore reos agendi ad populum, ita vel ipsa hac tribunicia ex potestate Principibus ius fuit iubendi ut, quemcunque ipsi vellent, quolibet tempore reum agerent ac punirent iudices, ad quos populi istud iudiciale munus pervenisse nosceretur, id est, in urbe postremo soli praefecti, per provincias rectores provinciarum. Quare, quamvis apta atque accommodata illa iuris imperatorii extraordinaria cognitio videatur fuisse ad coercendos magistratus potissimum, non generale ex ea tamen discrimen inter noxiorum magistratuum et privatorum persecutionem criminalem in ius romanum introductum esse, satis, opinor, apparuerit. In civili autem iure ac privatis actionibus in perpetuum constat summam legum inter omnes cives communionem aequitatemque, partam illam ac sancitam XII tabulis, et in edictis praetorum et in Principum constitutionibus ac mandatis esse servatam; nisi forte quis eam velit communionis huius remissionem et ab legum antiqua aequitate aberrationem putare, quod cum senatores romanos, tum alios excelsa aliqua ornatos dignitate, aut specialibus quibusdam in ministeriis locatos, Principes iubebant privatis quoque de causis ea uti fori praescriptione, ut, quum ceteris quidem in rebus servanda esset lex communis, non apud quemlibet tamen isti iudicem, sed apud certos quosdam dignitate maiores, quibus eorum negotiorum tractatio speciali beneficio principali esset assignata, convenirentur; [17]) clarissimorum adeo atque illustrium nulli liceret per

---

17) De hac fori praescriptione sunt Cod. Iust. lib. 3 tit. 23 ubi quis de curiali vel cohortali aliave conditione conveniatur, 24 ubi senatores vel clarissimi civiliter vel criminaliter conveniantur, 25 in quibus causis militantes fori praescriptione uti non possunt, et 26 ubi causae fiscales vel divinae domus hominumque eius agantur. Quibus ex legibus unam hic adscribam, ex qua optime posse perspici existimo, quid hac in re in universum fuerit iuris, quantumque multi citra legem sibi arrogare sint soliti. Est illa Theodosii et Valent. Impp. const. Cyro Pr. Pr. data a. 441 (C. Iust. 3, 23, 2): „Hac perpetua lege sancimus, provincialibus iudicibus non posse fori praescriptionem opponere eos, qui ad curias vocantur, vel cohortalibus deberi dicuntur officiis, vel aliis corporibus obnoxii sunt; eos etiam, qui superexactiones vel concussiones perpetrasse firmentur: exceptis videlicet his, qui armata militia praediti sunt, vel alias speciali beneficio principali sese defendunt. — — Super publicis autem functionibus et debitis nemini liceat fori praescriptionem opponere praeter eos, qui specialiter excepti sunt. Ceteros excelsae tuae sedis et rectorum provinciarum in quolibet negotio declinare minime posse iudicium decernimus.“ — — Post vero omnem istam fori praescriptionem sustulit Iustinianus Imp. Novell. 69 (coll. 5 tit. 24) ut omnes obediant iudicibus provinciarum et in criminalibus et in pecuniariis, et ibi negotia examinentur, nullo excepto per privilegium; cuius legis ex cap. 1 haec addere iuvat: „Quid

se litem exercere, sed per procuratores omnino his causae essent dicendae. [18]) Quamquam illud quidem haud adeo erat novum vel alienum a prisci temporis moribus, si quidem iuris perhibetur antiquissimi fuisse, ut ne pecuniaria quidem de re minima esset iudex, nisi qui inter adversarios convenisset (Cic. pro Cluent. 43).

His, quae hactenus scripsi, satisfactum videbitur muneri, quod ex lege disciplinae nostrae scholarchicae impositum mihi est, ut scholastico huic libello commentatione aliqua praefarer. At quas ipse hac ex lege subeundas duxi partes, satis equidem neutiquam arbitror pertractatas, tum quod in his, quae scripta iam iam prelis typothetarum subiici oportet, alia luculentius, alia concinnius, ac disertius cuncta, expressa nunc velim; tum quod longe minima pars eorum exposita est, quae, ut plane res, quam explicare aggressus sum, expediretur, dicenda erant. Atque imprimis nescio an quis iure censeat generalis huius esse conspectus, ut disseratur plenius ac diligentius de conditionibus, quibus cautum antiquis legibus et Principum constitutionibus fuerit, quando accusari magistratus liceret. Non omnes enim a quolibet potuisse, quamdiu potestatem haberent, accusari aut in ius ad praetorem vocari, in universum satis illud quidem constat. Quinam vero quibusve iudiciis excepti sic fuerint, aut quibus de criminibus id genus praescriptione temporis nemini

---

enim erit durius, quam laesum circa sublationem bovis, aut equi, aut iumentorum, aut, ut exiguum dicamus, domesticae gallinae, hunc cogi non in qua aufertur provincia litigare, sed alibi currere, et ibi probationes horum quae pertulit exigi; et aut plures expensas pati, quam rei aestimatio est, aut inopiam ingemiscentem ferre.“ Ex cap. extr.: „Scitote igitur omnes subiecti — et neque itinere fatigabimini longiore, neque adversus maximos lacrimabitis; neque nos culpabitis tanquam haec non corrigentes. — Sit ergo poena talia committentibus aut suscipientibus iudicibus et cinguli casus et decem librarum auri damnum.“

18) Iust. Novell. 71 (coll. 5 tit. 26) ut ab Illustribus et qui supra eam dignitatem sunt, omnimodo super pecuniariis causis, sed et iniuriarum criminaliter per procuratorem dicantur — —: „Fertur quibusdam constitutionibus, ut nulli clarissimorum liceat per se litem exercere, sed per procuratorem omnino. Sed hanc quidem (conditionem) antiquitas pro dignitatum honore scripsit. — — Sancimus igitur usque ad magnificentissimos illustres haec valere, et modis omnibus eos per procuratores pecuniarias exercere causas; nec non etiam iniuriarum per procuratorem criminali modo movere, secundum quod datum est eis super hoc privilegium: ne cogantur aut sedere cum iudicibus, cum iudicant, aut stare rursus tanquam litigantes: ex utroque enim causa videtur incauta, aut dignitatibus iniuriam sustinentibus, aut iudiciali schemate indigne procedente. Post magnificentissimos igitur illustres, omnibus licentia sit volentibus procuratorem ordinare, et per se lites exercere, nulla ex hoc neque prohibitione, neque damno, neque poena inferenda eis.“

uti fuerit lege concessum, aut quantum eius modo in more positum, quantum forsitan multi citra leges sibi arrogaverint; ea non solum minus comperta esse omnia video,[19]) sed ne satis quidem apte accurateque videntur mihi a quoquam adhuc explorata esse atque excussa. Quam equidem rem opinor multo certius, quam adhuc factum est, posse definiri, dummodo inter diversas noxios persequendi formas, accusationem criminalem, actionem civilem, et coercitionem extraordinariam, distinguatur.

Quod autem in his, in quibus elaboravi hactenus, mihi ipse non satisfeci, culpam istam, ut mearum virium, in memet recipio; alterum positum est non minus in exiguitate temporis, quod huic impendere negotio mihi licebat, quam in aerarii, cuius impensis libellus hic excudendus est, penuria, ut quae quam paucissimis, quidquid scribere instituerem, plagulis complecti me coegerit. Id igitur externis his causis benevolus lector, qui pluribus a me iam nunc illustratam hanc rem cupierit, facile condonabit.

---

19) Similiter de hac huius iuris obscuritate conqueritur, quem omnium hoc tempore optime rerum romanarum peritum iudicaris, Drumann „Geschichte Roms“ T. II. p. 196 n. 9. Quam diversae sint hac de re hominum doctissimorum opiniones, ut strictim indicem, conferas Sigon. de Iudiciis 3, 5; Heinecc. Antiquitt. Rom. 4, 18, 37; Niebuhr „Römische Geschichte“ T. I. p. 547; Walter „Gesch. des römischen Rechts“ (Bonn 1840) p. 883; Rein „das Criminalrecht der Römer“ p. 600.